



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XLIV. De Confessione in scripto peragenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**



## Casus XLIV.

## De Confessione in scripto peragenda.

**G**enovefa è Galliis oriunda, & linguæ Germanicæ valde modicum perita obsequiis cujusdam Dominae se addixit, atque cum ista moratur in loco, ubi nullus Gallicæ linguæ peritus Confessarius inveniri possit, uno excepto, qui libros Gallicos legat quidem, atque intelligat, non autem gallicè loquatur. Quia igitur Genovefæ pluribus mensibus, imò forsitan integro annò subsistendum erat, atque sine Sacramentali exomologesi vivere tamdiu difficillimum ipsi videbatur, ideo rescire cupit.

Quær. 1. Utrum volens confiteri peccata sua Confessario in scheda exarata ad legendum dare possit?

Quær. 2. Num aliquando licitè fieri possit Sacramentalis Confessio absque omni verbali sui accusatione?

Quær. 3. Utrum non potens verbaliter confiteri teneatur in scripto?

## Synopsis.

## §. I.

## Resolvitur primum

## Quæsitum.

*Utrum volens confiteri peccata sua Confessario in scheda exarata ad legendum dare possit?*

1. Confessio in variis circumstantiis potest fieri.
2. Ex quam obligatione Confessio verbalis sit facienda.
3. Si facta in scripto, valida, & licita sit, num ad eam detur obligatio.
4. Si aliter, quàm in scriptis fieri nequeat, valida, & licita erit.
5. Idem tenendum, licet nulla

Rrr 2                      urgen-



- urgente necessitate verbis Confessio fieri possit.
6. Florentinum in Decreto Eugenii Confessionem oris ampliativè sumpsit.
7. Quod non sine fundamento asseritur.
8. Solvitur objectio ex Capitulo, quam pœnitent. dist. 1, desumpta
9. Nec obest, quòd Sacramentalis absolutio verbis sit facienda.
10. Nec præcepto quodam Divino, nec Ecclesiastico Confessio verbalis, licèt hæc fieri possit, præcipitur.
11. Ex communi tamen Ecclesiæ consuetudine verbalis erit facienda.
12. Satisfaciet tamen pœnitens, si tali scheda tradita, & perlecta à Confessario, dicat; accuso me de omnibus in ista scheda contentis.
13. Quid si hæc verba proferret, postea autem primùm hanc schedam Confessario traderet?
14. Cardinali Lugoni videtur insufficiens.
15. 16. 17. Proponuntur Lugonis fundamenta.
18. Eò quòd talis accusatio verbalis non sit, prout tamen fieri debet, perfecta.
19. Sufficientem illam tamen esse videtur probabile.
20. Confessio solis nutibus sine omni verbo facta non videtur invalida.
21. Ex sufficiente ratione verbalem omittens non peccat.
22. Quænam rationes sufficientes appareant.

## §. II.

Resolvitur secundum  
Quæsitum.

*Num aliquando licitè fieri possit Sacramentalis Confessio absque omni sui accusatione verbali?*

23. Sine omni rationabili causa taliter facta Confessio saltem venialis erit.
24. Juxta communiorem etiam mortalis.
25. An hæc gravitas à solius consuetudinis violatione proveniat?

## §. III.



§. III.

Resolvitur tertium

Quæsitum.

*Utrum non potens verbaliter confite-  
ri, teneatur in scripto, subjun-  
gendo postmodum, ac-  
cuso me &c.*

26. Urgente præcepto confiten-  
di tenetur.
27. Etiam non urgente præce-  
pto confitendi ad solatium  
suum confitens tenebitur in  
scripto confiteri, si nullus  
Gallicam pronuntiationem  
intelligens Confessarius adsit.
28. Nec obstat, quòd nemo  
teneatur confiteri per inter-  
pretem.
29. Nec hæc obligatio est de-  
trimentum Confessioni ex-  
trinsecum.
30. Cùm talis scriptio hîc &  
nunc sit constitutum illius  
essentiale.
31. Etiam ægrotus non potens  
verbaliter, bene tamen in  
scripto, erit obligatus.
32. Inter mutum solummodo

ad breve tempus, & nostrum  
casum non est paritas.

33. Non quælibet scriptura or-  
dinatur ad publicam manife-  
stationem.
34. Quandonam peccatum, ne  
hoc è memoria excidat, scri-  
bendum?

§. I.

Resolvitur primum  
quæsitum.

*Utrum volens confiteri peccata sua  
in scheda expressa Confessario  
ad legendum dare possit?*

**C**onfessio fieri poterit urgen-  
te præcepto Divino, vel  
Ecclesiastico, ob instans scilicet  
periculum mortis, aut ipsum  
tempus Paschale, vel liberè ex  
devotione, ut è statu peccati  
mortalis, quo se irretitum agno-  
scit, liberetur.

Potest insuper quæstio insti-  
tui, utrum Confessio in scriptis  
facta sit valida, & licita attentis  
Divino, & Ecclesiastico præce-  
ptis; item utrum in necessitate  
Sacramenti omnis Confessio ver-  
bis



bis sit facienda, aut ex solo præcepto Ecclesiastico.

3 Denique, si Confessio non verbalis ponatur esse valida, uti & licita, dubitari ulterius poterit, utrum volens confiteri ex obligatione urgentis præcepti, aut ad majus suæ animæ solatium debeat in scriptis confiteri. His præmissis.

4 Dico 1. Quando pœnitens alio modo, quàm in scriptis sua peccata explicare non potest, Confessionem scriptò factam, & validam, & licitam futuram. Ita cõmunis cum D. Thoma. *Quodlibeto primo. art. 10.* Layman. *de pœnit. cap. 4. n. 2.* Escobar *l. 15. n. 324* Lugo, de la Croix.

Prob. Conclus. ex communi fidelium usu à mutis, atque infirmis observato, quorum Confessio est valida, licet verbis non sit deposita. Prob. 2. Sacramentalis peccatorum explicatio in ordine ad validam absolutionem secundum suam essentiam considerata potest consistere in quocunque signo sui accusationis, uti patet in moribundis, & loqui non ampliùs valentibus: ergo etiam in litteris scriptis. Prob. 3. ex Tridentino *Seff. 14.*

*cap. 3. & 5.* ubi declarans Confessionem ut partem hujus Sacramenti solummodo dicit, partem hujus Sacramenti esse humilem accusationem, quâ pœnitens Sacerdoti omnia sua peccata, quæ memoriæ occurrerint, manifestat: sed hæc manifestatio etiam in scriptis fieri poterit: ergo &c.

Dico 2. Etiam si nulla urgente necessitate, eò quòd verbis Confessio fieri possit, pœnitens sua peccata in scriptis explicet, hanc tamen ex defectu ejusdem partis ad Sacramentum hoc necessariæ, nequaquam invalidam futuram. Ita contra Richardum, Paludanum, Sotum, docet communis TT. cum D. Thoma *in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. questiuncula 2. ad 2. & quodlibeto primo. art. 10.* Suarezio *disp. 21. sect. 3.* Valquez *questiuncula 91. art. 4. dub. 4. n. 7.* Lugo *de pœnit. disp. 15. sect. 5.*

Prob. Conclus. Christus Sacramentum pœnitentiæ instituens nullum determinatum modum explicandi peccata præscripsit: ergo ex ipsius Christi instituentis voluntate non erit verbalis explicatio necessaria. Prob.

con-



conseq. explicatio peccatorum in scriptis facta æquè perfectè explicat peccata commissa, ac verbalis: ergo si perfectam solummodo explicationem ut partem Christus requisivit, non erit verbalis explicatio determinatè necessaria.

Confirmatur: Si verbalis explicatio esset determinatè necessaria, tunc moribundus, qui nullum ampliùs verbum proferre potest, solo nutu se reum accusans invalidè absolveretur: hoc est contra praxin Ecclesiæ: ergo verbalis sui accusatio non erit necessaria.

Confirmatur 2. etiam communiter dicitur, quòd Sacramenta constant verbis, tanquam formâ, & elementô tanquam materiâ: consequenter quòd ad Sacramenta requirantur verba; hoc tamen non obstante validum erit matrimonium, licet locô verborum adhibeantur alia signa internum consensum in nuptias manifestantia: ergo idem de Sacramento pœnitentiæ tenendum.

6 Objici potest nostræ conclusioni. Primò. Concilium Florentinum in Decreto Eugenii

materiam Confessionis nominat Confessionem oris: ergo verbalis erit necessaria necessitate Sacramenti. Resp. dist. antec. vocat Confessionem oris, accipiendo hunc terminum ampliativè: Concedo, strictè illum accipiendo, negatur antec. & conseq.

7 Urgent. Absque omni ratione verba Concilii accipiuntur in sensu ampliore, & minùs proprio: ergo nulla est distinctio. Resp. neg. antec. Fundamentum enim ita interpretandi depromimus ex citati Eugenii verbis adducto ab Adversariis textui statim subjunctis, *ad quam* (intellige Confessionem Oris.) *pertinet, ut omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur integraliter*: ergo per oris Confessionem nihil aliud intelligitur, quàm ut pœnitens sua peccata confiteatur integraliter.

8 Objic. 2. *Capitulum; quam pœnit. de pœnitentia dist. 1. ubi dicitur, Confessionem per scripturam non esse faciendam: ergo &c.* Resp. dist. textū: dicitur Confessio nō per scripturam, sed verbis facienda ex præscripto



pto Ecclesiastico : conc. ex præcepto Christi instituentis : negatur.

9 Objic. 3. Ipsa Sacramentalis absolutio est necessariò facienda per verba formalia : ergo etiã accusatio peccatorum. Resp. neg. conseq. Disparitas enim consistit in eo , quòd vix necessitas possit occurrere , quæ exigat , ut absolutio aliter , quam verbis fiat , & in præsentem proferatur : ex parte autè Confessionis sæpiùs contingere potest , ut hæc verbis formalibus fieri nequeat. Accedit , quòd Tridentinum *Sess. 14. cap. 5.* expressè definierit non solum verba absolventis esse de se essentialia pœnitentiæ , sed insuper determinaverit verba ad validam absolutionem necessaria : nil simile quid habetur de accusatione Sacramentali.

10 Dico 3. Nec ullum præceptum Divinum , aut Ecclesiasticum dari , Confessionem per voces factam imponens , si hæc taliter fieri possit. Ita Lugo *de pœnit. Sacram. disp. 15. sect. 5. n. 78.* Probatio conclusionis est negativa , eò quòd tale præceptum ostendi nequeat.

11 Dico 4. Quemlibet tamen

ex communi Ecclesiæ consuetudine , rationem cujusdam legis habente obligatum esse ad verbalem , si hæc fieri possit , Confessionem. Ita Divus Thomas *quodlibeto 1. art. 10.* Canus , Navarr. Coninck , Layman. Bonacina *de pœnit. p. 8. n. 8. disp. 22. sect. 3.* Vasquez *lib. 4. dub. 4. n. 7.* Lugo *de pœnit. Sacram. disp. 15. sect. 5.* Illfung , Platelius &c. Ratio est , quòd communi , atque Ecclesiæ praxi sine rationabili causa non sit contraveniendum : ergo &c.

Dico 5. Sufficenter debito<sup>12</sup> confitendi verbaliter satisfacisse pœnitentem , qui Confessario dat schedam , ut descripta ibidem peccata priùs legat , ipse autem illis perlectis dicat , accuso me de omnibus , quæ in hac scheda contenta sunt. Ita cum communi docent Arriga , Gonet , Stephan. Palao *tract. 23. p. 10. n. 8.* Gobat , Stoz , Gormaz , Dicast. *disp. 8. n. 3.* Lugo.

Prob. In hoc casu jam fit talis verbalis Confessio , qua omnia sua peccata verbis Confessario explicet : ergo erit valida , & licita. Prob. antec. ex his confitentis verbis : prout in talibus

cir-



circumstantiis proferuntur, Confessarius jam acquirit perfectam omnium delictorum notitiam: ergo talis verbalis Confessio erit sufficiens. Prob. conseq. ad validam Confessionem nequaquam requiritur, ut omnia peccata singillatim, & distinctè exprimantur per voces: ergo si notitiam omnium peccatorum hīs paucis verbis prolatīs in istis circumstantiis Confessarius acquisivit, Confessio talis erit sufficiens.

Confirmatur: si aliunde haberet sufficientem de quodam peccato notitiam à Petro commissō, tunc iste sufficienter se explicaret, dicendo: *accuso me de peccato, quod tibi jam est notum*: ergo etiam alter satisfaciet.

Confirm. 2. Si hodie invalidè confiterer, cras autem defectu cognito, denuo me accusarem dicendo: *accuso me de omnibus peccatis, quorum me heri reum dedi*: talis verbalis Confessio ad absolutionem sufficeret: ergo etiam sufficiet, quando perlectā antea schedā defectus commissos exprimente, subjungo: *Accuso me de omnibus in hac scheda expressis peccatis, an-*

tecedens, si non ab omnibus, saltem à Suarezio, Lugone, & majore DD. parte conceditur.

Alia modò quæstio movetur, <sup>13</sup> num pœnitens sufficienter se accusaret; si Confessario diceret: *Accuso me de omnibus peccatis, quæ in hac scheda sunt exarata*. postea autem primùm illam legendam Confessario daret, quin illis perlectis denuo se verbaliter accusaret? Cardinali de Lugo negativa videtur verosimilior, ob rationes sequentes.

Confessarius ante perlectam <sup>14</sup> schedam præcisè ex similibus Confitentis verbis nequaquam cognosceret sufficienter pœnitentis peccata, sed in horum notitiam primùm perveniret post lectam Confitentis schedam: ergo talis præmissa generica accusatio verbalis non sufficiet: atqui accusatio verbalis sufficiens est necessaria: ergo illa non sufficiet, eò quòd de se Confessario non ingeneret perfectam peccatorum notitiam, etiam prout in his circumstantiis profertur.

Secunda ratio. Ponamus, me <sup>15</sup> confiteri Confessario, dicendo, *Accuso me de peccatis, quæ po-*



- stea ad te scribam, talis accusatio verbalis non sufficeret: ergo neque prior sufficiet, qua dico, accuso me de peccatis, quæ in hac scheda lecturus es.
- 16 Tertia. Non sufficeret accusatio, qua dico: ego me accuso de peccatis, quæ per nuntium tibi postea significabo: ergo neque prior.
- 17 Quarta. Si Confessario linguæ Gallicæ ignaro mea peccata in Gallico idiomate exponerem, ita ut pro tunc Confessarius non veniret in meorum peccatorum notitiam, invalidè absolverer, licèt postea ab alio linguæ Gallicæ perito peccatorum meorum speciem ille Confessarius agnosceret, nisi postea meam Confessionem repeterem, vel antea factam approbarem: ergo nec sufficiet Confessio per schedam primùm postea legendam facta. Prob. consequ. in tali casu idiomatis Gallici verba Confessario, hujus linguæ ignaro, nihil significarent: ergo illa Confessio non foret sufficiens.
- 18 Rationibus istis opponi potest, ex illis tantùm sequi; ejusmodi verbalem Confessionem non substituram, si porrecta
- scheda primùm legeretur post datam absolutionem, non autem, si antea, si ante istam: quod idem de explicatione idiomatis Gallici tenendum: ergo ex illis nihil probatur. Responderi potest negando: rationem dant, quòd verbalis accusatio ex se debeat perfectam notitiam omnium peccatorum generare: hoc autem non facerent prædicta in talibus circumstantiis prolata verba. Consideranda igitur est diversitas circumstantiarum, in quibus illa verba proferuntur, si enim post jam perfectam schedam dicam: *Accuso me de omnibus in hac scheda prolatis*; generant ista sufficientem notitiam omnium jam antea perfectorum, quorum memoriam adhuc Confessarius retinere supponitur. Cùm autem horum nulla notitia ante perfectam schedam habeatur, si tunc proferantur, nullius peccati notitiam audienti Confessario prolata hæc verba generalia suppeditant contra præceptum Ecclesiasticum, volens, ut verba sui accusatoria sufficientem sui accusationem continent.

Ur-



19 Urgent: si immediatè post talem verbalem accusationem præsentem adhuc confitente scheda legatur, tunc priùs prolata verba adhuc moraliter loquendo perseverant, & consequenter coexistunt virtualiter, seu in suo effectu: ergo talis accusatio erit sufficiens. Prob. antec. Accusatio sui debet esse dolorifera, talis autem censetur etiam esse, si ab initio peccata sine dolore fuerint exposita, modò post finitam accusationem ante factam absolutionem eliciatur dolor, & hoc ex eo capite, quia prior accusatio videtur adhuc continuari: ergo idem de altero casu tenendum. Resp. hanc responsionem reddere sententiam istam probabilem: majoris tamen securitatis gratiâ consultiùs futurum, si illa priùs prolata verba denuo repetantur.

20 Objici ulterius nostræ conclusioni potest. Si verbalis Confessio est necessaria, tunc omnis solis nutibus, & sine omni verbo facta Confessio erit invalida, sequela est falsa: ergo &c.

Resp. dist. Majorem: Omnis talis Confessio esset invalida, si deesset aliqua essentialis pars ad

substantiam hujus Sacramenti requisita: conc. Si hæc non desit, & verba requirantur tantùm ex præcepto Ecclesiastico: nego antec. & conseq.

Urgent: Si præceptum Ecclesiasticum Confessionem verbalem præcipit, tunc illud non observans peccabit; consequenter non erit dispositus ad recipiendam absolutionem. Resp. dist. antec. peccabit, si ex nulla ratione sufficiente verbalè Confessionem omitteret: conc. si adsit sufficiens ratio eundem excusans: nego.

Urgent: Si ob causam rationabilem aliquis ab hujus præcepti observatione excusatur, tunc debet ostendi talis sufficiens causa: hæc ostendi nequit: ergo &c. Resp. Causas rationabiles in scriptis confitendi juxta Rainaudum in *Hetroclit. tom. 16.* esse rationabile pœnitentis commodum: juxta Laym. si ægrotus difficulter loquatur: juxta Sporerum, si Confessarius sit surdaster, aut ipse pœnitens. juxta Palaum, si hoc modo perfectior notitia peccatorum Confessario ingeratur. juxta Tamburinum, si pœnitens sit scrupulosus, & al-



ter sua peccata non rectè explicet, aut si verecundia impediatur, ne ore tenus peccata sua explicet, quia tamen verecundia non videtur posse impedire confitentem, quin hæc verba proferat: *Accuso me de contentis in hac scheda peccatis: ex causa verecundia nemo poterit impediri ab his memoratis verbis: Accuso me de contentis in hac scheda peccatis.*

## §. II.

### Resolvitur secundum Quæsitum.

*Num aliquando licitè fieri queat  
Confessio Sacramentalis sine  
omni vocali sui accusa-  
tione?*

**P**œnitens, aut vult confiteri urgente præcepto, tum ob tempus Paschale, tum ob periculum instantis mortis, aut ex sola devotione, ut è statu peccati mortalis se liberet.

Dico 1. Si pœnitens nullam omnino causam habeat confitendi per schedam absque omni voce humana, sine peccato saltem veniali talis Confessio si-

eri haud poterit, Ita tradunt Sotus, Diana, Regin. Bonacin. Lugo, Arriaga.

Prob. Qui universalem totius Ecclesiæ consuetudinem absque omni gravi, & rationabili causa non observat, peccat saltem venialiter: ergo cum universalis Ecclesiæ consuetudo Confessionem verbalem introduxerit, ut docet communis experientia, sine peccato saltem veniali omitti hoc non debet.

Diximus saltem *venialiter* ta<sup>24</sup>lem peccaturum esse; quando enim Doctorum auctoritatem consulimus ferè omnes in hac re gravem obligationem agnoscunt: eò quòd tali novo, & ad se explicandum minùs idoneo more facta Confessio sine rationabili causa videatur esse contemptus, & cujusdam irreverentiæ species mortale peccatum inducens, juxta Suarezium, Coninck, Filiucium, Palaum, Gormaz, Viva.

Etiamsi autem communior<sup>25</sup> sententia culpam gravem in talis consuetudinis violatione agnoscat, dubium tamen vel maximè est, utrum hæc gravitas à sola hac consuetudine proveniat,



niat. Ratio dubitandi est: potest enim dubitari, an non consuetudo confitendi per voces suum ortum attribuere possit, & non magis, ac potius communi, in aliis etiam negotiis observato ab hominibus modo: isti enim dum cum presentibus agunt, & sua negotia conficiunt, non meris nutibus, aut scriptura, sed vocibus se mutuo explicant: ergo consuetudo confitendi per voces potest provenisse ex hac communi praxi, quin ipsi practicantes habuerint animum obligandi ceteros ad Confessionem verbalem.

Cæterum suppositis nostris principiis, quod scilicet valeat Confessio ut verbalis, si perlecta scheda confitens postea subjungat; accuso me de his omnibus, quæ in scheda hac expressi; non eveniet facile casus, in quo talis Confessio fieri non possit; quodsi autem omni penitus potestate loquendi quis privatus sit, ipsa necessitas talem à vocali Confessione excusabit.

### §. III. Resolvitur tertium

Quæsitum.

*Utrum non potens verbaliter confiteri, teneatur in scripto: subjungendo postmodum: accuso me &c.*

**D**ico: si præceptum confitendi urgeat ob tempus Paschale, aut instantis mortis periculum, nec prævideatur ad futura occasio, in qua verbaliter quis confiteri alii Sacerdoti poterit, probabilius talem obligatum fore ad scribenda sua peccata. Ita sentiunt D. Thomas *dist. 1. q. 3. art. 4. quasiunc. 3. ad 2.* Paludanus, Sylvester, Major, Cajetan. Petrus Soto, Lugo *de penit. disp. 15. sect. 4. n. 87.* Suarez, Vasquez, Escobar, Averta, Dicast. Gormaz. Probatur: per se quilibet tenetur deponere Confessionem materialiter integram, & peccata, quæ in conscientia illius dantur, confiteri, nisi quædam rationabilis causa eundem excuset: atqui nulla rationabilis causa talem excusat: ergo tenetur materialiter illam integram Confessionem peragere: sed ad hanc peragendam necessaria est annotatio peccatorum in scheda modo superius in-

Slf 3

finua-



sinuato: ergo hoc modo erit facienda. Prob. maj. Si esset singularis causa à materiali integritate excusans, foret hæc periculum revelationis per amissionem schedæ, aut hujus retentionem à Confessario: hæc ratio non excusat: ergo non habetur ratio excusans. Probat. min. scheda post Confessionem peractam potest immediatè discerpi, aut comburi: Item ne ante peractam Confessionem amittatur, potest illa in præsentia Confessarii scribi, aut cum ea diligentia, & cura custodiri, cum qua alia documenta, obligationes, & alterius gravis momenti res affervantur: ergo non est prudens timor, ne illa scheda amittatur, aut peccata ibi scripta revelentur. Neque ex parte Confessarii, ne iste fortassis schedam retineat, & peccata postmodum aliis enumeret: si enim sigillum violare decrevit, manifestare poterit etiam verbalem Confessionem: ergo nec hæc esset facienda.

Confirm. Qui per vocem humanam confitetur, pariter timere potest, ne alius assistens, vel se occultans, sua peccata intelligat: ergo sicut ex hoc non da-

tur excusatio à Confessione verbali, ita neque dabitur in altero casu, saltem ordinariè, cum scilicet singulares, & extraordinariæ circumstantiæ absint, quæ prudens iudicium fundare possunt, adesse hîc & nunc proximum quoddam revelationis periculum. Supposito autem, quòd nulla specialis ratio in hoc casu detur, excusans ab integritate materiali Confessionis, facile probari poterit, in scripto talem manifestationem dictò modò esse faciendam. Nam, qui tenetur ad certum finem, tenetur etiam ad media licita, & de se non nimium difficilia: atqui annotatio peccatorum in scheda est medium in tali casu necessarium non nimis difficile: ergo tenetur hoc medium arripere. Minor constat ex dictis.

Dico 2. Etiam si præceptum<sup>27</sup> Confessionis non urgeat, sed aliquis ad solatium suum, atque ad expiandum peccatum mortale, quo se maculavit, confiteri velit, hîc & nunc autem tantum Sacerdos adsit, qui pronuntiationem Gallicam non intelligat, Gallicam autem scripturam legere, ac interpretari sciat, talem pro-



probabilius ad scribendam schedam dicto modo obligatum esse. Ita de Lugo, & ceteri supra citati.

Conclusio videtur deduci ex dictis: cum enim velit Confessionem Sacramentalem, etiam debet velle media ad hanc necessaria, si hæc non sint nimis difficilia.

28 Objic. Contra hætenus dicta: licet permissum sit confiteri per interpretem ad hoc tamen nemo obligari potest: juxta Cajetanum, Ledesnam, Sotum, Medinam, Joannem Majorem, Paludanum, Suarezium *disp. 36. sect. 6. Vasquez quest. 91. art. 4. dub. 3.* ergo nemo tenebitur ad Confessionem mediante scriptura faciendam. Resp. quod confitens per interpretem debeat sua peccata alteri, quam Sacerdoti exponere: nil simile contingit in Confessione per schedam.

29 Objic. 2. Theologi communiter docent præceptum Divinum confitendi non obligare cum gravi detrimento extrinseco: atqui Confessio per schedam facienda est tale grave detrimentum extrinsecum: ergo cum hoc

non erit peragenda. Respond. conc. Maj. neg. min. expositio enim commisi peccati est detrimentum Confessioni intrinsecum, tanquam constitutum illius essentielle.

Urgent: Licet aliqua expositio peccatorum sit essentialis Confessioni, tale tamen constitutum non est Confessio per scripturam determinatè accepta: ergo nulla responsio.

Resp. dist. antec. Confessio per scripturam non est tale essentielle constitutum Confessionis, si per verba fieri possit Confessio, conc. si taliter fieri nequeat: neg. Confessio per nutus, & alia signa ordinata non est quid essentielle Confessionis: tale tamen evadit, cum quis loqui non possit.

Objic. 3. Juxta Laym. n. 3.<sup>31</sup> non est obligatus scribere suam Confessionem ægrotus, qui ex infirmitate verbaliter confiteri non potest: ergo &c. Resp. ob rationes superius allatas contrarium nobis videri probabilius.

Objic. 4. Mutus solummodo ad tempus, speransque se loquelam breviter recuperaturum, præcepto annuæ Confessionis

in



in & pro tali statu non obligatur: ergo neque ad scripturam dabitur obligatio. Prob. antec. huiusmodi furdo est insolitum, & hinc facile valde difficile scripto, vel nutibus sua peccata exponere: ergo non erit ad hæc obligatus.

Resp. Ex dictis constare, hunc modum sua peccata explicandi nequaquam esse valde difficilem, atque in casibus extraordinariis inusitatum. 2. dō Talis habet spem brevè recuperandi usum linguæ, cū enim aliunde constet, Ecclesiam non esse difficilem, ut etiam ex aliqua non adeò gravi causa Confessio Paschalis differatur, etiam hæc dilatio ob talem causam à benevola Ecclesia benignè præsumi poterit, tum ut apertius postea per voces, quàm per mera signa explicet sua peccata, tum ut modus Confessionis cōmuniter ab Ecclesia receptus observetur; quòd si autem absolutè tantum linguæ usum retineam, ut possim dicere: *Accuso me de scriptis in hac scheda peccatis*, si quis absolutè velit confiteri, vel prævideat Confessionem in longissimum tempus differendam ali-

às fore, hanc necessitatem confitendi per scripturam in casu, quo urgente præcepto non brevè recuperandus linguæ usus speretur, agnoscunt Cajetanus, Sotus, Navar. Toletus, Palao de *penit. disp. unica. pun. 8. num. 10.* cū enim ad alias res minùs nobis utiles scripturam utamur, non videtur iste modus esse nimis difficilis pro suscipiendo Sacramento.

Objic. 5. Esto, quòd talis scriptura de facto soli Sacerdoti manifestetur, scriptura tamen per se dirigitur ad publicam manifestationem: est insuper apta, ut cæteris talium scriptorum notitiam aperiat, & plerumque aperit: ergo Divinum, aut Ecclesiasticum præceptum ad talem Confessionem non obligabit. Resp. negando, quòd omnis scriptura à nobis dirigatur ad publicam manifestationem, cū multa pro sola nostra privata notitia nobis annotemus. 2. dō. Etiam verbis volumus aliqua cæteris manifestare, & publica facere; & tamen Confessio verbalis est præcepta, quia etiam occultè fieri potest: ergo idem de scriptura dicendum.

Objic.



34 Objic. 6. Juxta Cajetan. Sotum, Valentiam, Palaum *tract.* 23. p. 10. n. 3. nemo tenetur scribere Confessionem, ne peccata è memoria excidant: ergo &c. Prob. antec. ut bene confiteamur, sufficit diligentia moralis, sed hæc non exigit scripturam peccatorum: ergo ut Confessio bene fiat, non requiritur scriptura. Confirm. antec. etiam si timeam, ne aliquod determinatum peccatum è memoria excidat, non tamen obligor illud in scripto annotare: ergo absolutè etiam non ero obligatus, ut omnia peccata scribam, si aliter hæc explicare non possim. Prob. conseq. qua lege teneor confiteri unum meum peccatum, ea lege etiam teneor omnia mea peccata confiteri: ergo si unum non teneor annotare, ut confitear, neque tenebor, ut omnia confitear, ista annotare.

Respondeo: quærendo ex his Authoribus, vel loquuntur de

annotatione peccati cujusdam commissi facienda longo tempore ante illud, quo postmodum confiteri intendo, vel est quæstio de annotatione peccati facienda tempore preparationis ad Confessionem, si hoc posterius, concedimus, quòd debeat annotari, & scribi peccatum, quando quis præparat se ad Confessionem proximè faciendam, & nullo alio signo ad refrendam talis peccati memoriam uti possit, quod tamen vix inveniet; negamus autem, quòd peccans v. g. hodie & volens post mensem, vel duos confiteri debeat tale peccatum sibi in scripto annotare, ne ex memoria eidem excidat Ratio est: quòd talis annotatio sit exposita periculo revelationis, eò quòd facilè talis scriptura amitti possit; hinc Ecclesia ad talia præsumitur non obligare, tanquam ad medium quoddam extraordinarium,



T t t

Ca.